

quod fieri debuisset,) quaestiones propositas: *An dogma de de Majestate Christo homini communicata, & quidem in locutione abstractiva, necessarium sit ad informationem & demonstrationem fidei? An fidei aliquis articulus non recte possit doceri, explicari, confirmari & defendi, sine doctrina illa? An omnipraesentia carnis & sanguinis requirat fundamenti loco dogma de omnipraesentia carnis Christi? An necessaria doctrina recepta ad praxin Christianismi etiam private? An negatio laedat fundamentum fidei & praxin aut directe, aut indirecte, vel per se, vel per necessariam consequentiam? An saltem non negari debeat, si non ab omnibus accurate cognosci?* & quae aliae sunt, sine omni dubio, cum omnibus, quibus sinceritas cordi est, resolvere potuisse.

§. IV. Experimento non uno hoc, quod dicimus, comprobatum videmus. Omnibus nempe recte computatis Confessores pii in F. C. unanimiter ita concludunt: *Periculosum esse errorem judicamus, quando Christo juxta humanitatem Majestas illa derogatur, Christianis enim ea ratione summa illa consolatio eripitur, quam e promissionibus de praesentia & inhabitatione capitis, Regis & summi sui Pontificis haurire poterant. Is enim promisit non modo nudam suam divinitatem ipsis praesto futuram, quae nobis miseris peccatoribus est, tanquam ignis consumens aridissimas stipulas, sed ille ipse, homo ille, qui cum discipulis locutus est, qui omnis generis tribulationes in assumpta sua H. N. gustavit, qui ea de causa nobis ut & hominibus & fratribus suis condolere potest, secundum eam etiam naturam, juxta quam ille frater noster est, & nos caro de carne ejus sumus!* Vide, quantum momentum & pondus ad fundamentum fidei invenerint Viri cordati! Nec aliter quondam WÜRTEMBERGICI Theologi crediderunt, sed docuerunt potius, maximum pondus in hac doctrina recumbere. Ita in *Examine Cap. VI. Des Heydelbergischen Berichts*, p. 529. loquuntur: *Allhier erinnern, ermahnen, bitten, flehen und warnen wir nicht allein alle christliche Herren und Obrigkeiten, sondern insgemein alle fromme gottseelige eysrige*

ge